



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XI. Origo & incrementum Juris Canonici, seu Canonum
Ecclesiasticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

42. Jure Canonico Episcopum à propria sede eijciens, vel comprehendens aut percutiens, vel qui contra sacras personas enormia committunt excommunicantur, & omnium bonorum confiscatione puniuntur. *c. Si quis deinceps 17. q. 4. c. Si quis rapuerit 27. q. 1.* At jure civili damnatorum bona hæredibus reservantur. *l. 1. §. de bon. damn.*

43. Jure civili nulla pœna ultra quadruplum excedere debet. *§. Omnes autem actiones, Instit. de action.* Secus jure Canonico *c. Quisquis 17. q. 4. c. Cum devotissimam. 12. q. 2.*

44. Desertori bellum aut fugienti jure Canonico pœna constituta est infamia. *c. Infames 6. q. 1.* Jure civili autem capitale supplicium. *l. Omne delictum §. Qui in acie ff. de re militari.*

C A P U T X I.

Origo & Incrementum Juris Canonici seu Canonum Ecclesiasticorum.

Quatuor cœtus Apostolorum. Canonum & Constitutionum Apostolicarum auctoritas. De Codice Canonum. De collectione diversorum. De Decretis Burchardi

chardi Wormaciensis, Volumine Decretorum Ivonis Carnotensis, & Concordantia discordantium Canonum Gratiani. De compilatione prima, secunda, tertia, quarta & quinta, & de Decretalibus Gregorii IX. Libro sexto, Clementinis & Extravagantibus.

I.

JUS Canonicum in ipsis statim primordiis nascentis Ecclesiæ condi cœpit. Apostoli enim post Ascensionem Domini quatuor præcipuè cœtus juxta glossam ordinariam in c. 1. Act. Apost. coëgisse in actibus Apostolicis leguntur, in quibus Religionis negotia tractarunt, & ea quæ Ecclesiæ regendæ utilia essent, constituerunt, Canonesque ab omnibus Christi fidelibus observandos confecerunt.

An vero hi cœtus dicendi sint Concilia Oecumenica, an particulares conventus, videtur de nomine potius, quam de re esse quæstio. Si enim spectetur materia, quæ agitabatur, dicenda erunt Concilia universalialia, cum fidei negotium, quod in illis tractatum est, ad omnes Christianos spectet; Si autem convocatio attendatur, cum ea non fuerit omnibus, quorum intererat, indicta,

dicta,

dicta, particulares Conventus appellandi erunt. Poterant tamen pauci Apostoli, qui iis interfuerunt de fidei negotiis tuto statuere, cum peculiaribus Spiritus sancti donis & gratiis donati fuerint.

Primus ergo cœtus post Ascensionem Domini collectus fuit Hierosolymis anno Christi trigesimo quarto secundum Baronium, vel ut computat Philippus Labbè trigesimo tertio in domo Mariæ Matris Joannis, ubi congregatis Apostolis cum aliis ferè centum viginti suffectus est divina sorte Mathias in locum Judæ proditoris. *Act. 1. 15.* Præsedit huic cœtui S. Petrus; Et licet plures congregati essent ex populo, hi tamen non habebant jus suffragii, sed tantum desideria sua, & virtutis testimonia depromebant.

Secundus cœtus habitus est quoque Hierosolymis anno à Nativitate Christi 34. vel secundum Labbé 33. post Spiritus sancti missionem, ob primam discordiam natam in Ecclesia ex eo, quod Græci, id est, Judæi in Græcia, vel Provinciis, ubi Græcè loquebantur, degentes (nam gentilibus tum temporis ostium Ecclesiæ nondum patebat) conquererentur de Hebræis, id est, indige-

nis

nis Palæstinis, quod viduæ eorum in quotidiano Ministerio, hoc est, servitio mensarum & eleemosynarum distributione negligerentur, neque his subveniretur, ut viduis hebræis *Act. 6. v. 1.* Quare cum æquum non esset Apostolos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis, concesserunt multitudini discipulorum jus præsentandi septem ad hoc ministerium idoneos, qui etiam ex hac concessione indultâ non vero ex jure *Bar. ad an. 34. n. 343. & 287. & an. 35. n. 1. Bell. l. 1. de Cler. elegerunt ex septuaginta discipulis Domini Epiph. l. 1. c. 21.* septem viros boni testimonii, quos Apostoli per impositionem manuum Diaconos ordinarunt. *Conc. Carth. 4. c. 1. de Sacr. non iter. Bellar. de Sacr. Ord. l. 1. c. 6.* Non ut mensis tantum communibus ministrarent, prout docuit *Sebast. Cæsar de Eccles. Hierar. disp. 9. §. 1. Vasq. 3. p. in par. 3. disp. 236. c. 4.* aliique nonnulli, ad hoc enim opus non erat tam sollicitâ electione, & ritu illo sacro imponendi manus, sed ut ministerio etiam Altaris præficerentur; Unde in Ecclesia usus inolevit, ut Diaconi ad sacrificium offerendum omnia disponant, locum, hostiam & calicem præparent, ac Sacerdotibus offerentibus assistant. *c. Perlectis §. ad Diaconum Dist. 25.*

G

Quin

Quin etiam vivificum Christi sanguinem communicantibus præbebant teste Justino *Apol. 2.* Cypriano *serm. de lapsis* & Ambrosio *lib. 1. Offic.* Mensis vero communibus ministrabant non inferendo cibum potumque, sed dividendo eleemosynas inter egenos pro singulorum necessitatibus. *Baro l. c.* Quod munus etiam sequentibus sæculis Diaconos obiisse testantur S. Hieronymus *in Ezech. c. 48.* S. Ambrosius *de offic. Ecclesiast.* alique.

2. Tertius Apostolorum cœtus, ex quo desumpta est Oecumenicorum Conciliorum formula in Ecclesia observata: *Visum est Spiritui sancto ac nobis. Act. 15.* celebratus anno Christi 49. ut existimat Labbè, vel ut alii 51. Claudii Imp. 9. Hierosolymis, unde & Concilium Hierosolymitanum appellari solet, cui interfuerunt Petrus ut Præses & Caput, Paulus, Joannes (ita colligitur ex Epistola Pauli *ad Galat. c. 2.*) & Barnabas, atque Seniores, qui casu aderant Hierosolymis. In hoc Concilio agitata est quæstio, & dirempta lis de Circumcisione à Gentilibus conversis simul cum Baptismate recipienda *Act. 15.* Statutum enim est, ut ex Gentilibus conversi non circumciderentur, nec alia cæremoniali lege Judaicâ obligarentur, sed abstinerent solum

lum ab immolatis simulacrorum & sanguine, suffocato, & fornicatione; Atque hæc fuerunt prima Juris Ecclesiastici decreta, quibus tria, quæ in lege Mosaica observata fuerant, fidelibus custodienda præcipiuntur; Primum, ut abstineant ab immolatis simulacrorum, seu idolothytis, ist est rebus Idolis immolatis *Orig, in Ep. 1. ad Rom.* ne nimirum participes fiant mensæ Dæmoniorum. Eamq; ob causam sequentibus sæculis varia Concilia & SS. Patres idolothyta vehementer execrantes hoc Decretum quoque confirmarunt; Ita ut S. Augustinus dicat de bono conjugali. c. 16. *Satius esse mori fame, quam idolothytis vesci.* & citatur. c. *Sicut.* 32. q. 4.

Secundum & tertium est, ut abstineant à Sanguine & suffocato, quod etiam habetur Can. 64. Apost. & confirmarunt Concilium Gangrense relatum in *cap. Si quis carnem Dist. 30.* Arelatense secundum *Can. 2.* Synodus Sexta *cap. 67.* aliaque apud Antonium August. in *Epito. l. 21.* Verum quæri hic poterit, cum præceptum illud sit Mosaicum cæremoniale, ut patet ex *Deut. c. 2. Levit. c. 7. & 17. 1. Reg. c. 14.* cur Concilium id imponere voluerit Christianis, quibus ciborum delectus est veritus, ut probat Ba-

ronius ad annum 174. n. 32. & alibi? Respondet Balsamon in *can. 67. Synodi Sextæ* & Turrianus pro Canonibus *l. 1. c. 5.* Præceptum illud Christianis impositum esse, ut facilius Judæi & Gentiles in unum Christum lapidem angularem necerentur, ut inquit S. Augustinus contra Faustum *lib. 32. c. 13.* & in unum populum coalescerent; Cessante verò causa infirmitatis Judæorum præceptum quoque exolevisse. Verum licet sic recte assignaretur causa prohibitionis factæ à Concilio illo Hierosolymitano, non tamen causa per hoc redditur, cur posterioribus temporibus, quando jam ratio allata cessaverat, præceptum à Conciliis & Patribus confirmatum sit. Quapropter Gonzalez Tellez in apparatu ad Decretales num. 37. assignat aliam causam hujus Decreti ex Tertulliano in *Apol. c. 9.* & Minutio in Octavio desumptam, nempe mirum cum primis Ecclesiæ sæculis Ethnici criminarentur Christianos, quod in Sacrificiis sanguinem haurirent occisorum infantum, audiverant enim ab iis sub speciebus panis & vini carnem & sanguinem sumi; Ideo Concilia & antiqui Patres, ut ostenderent fideles ab omni crudelitatis specie alienos esse, præcepisse ut sanguine & suffocato abstererent.

Quar-

Quarta Synodus habita est Hierosolymis anno Christi 56. vel ut alii 58. Cui solus Jacobus cum Paulo & Senioribus interfuit. *Act.* 21. In hac Synodo confirmata sunt decreta de gentibus ad fidem conversis superiore Concilio *Act.* 15. statuta, & Judæis credentibus permissus est ad tempus usus legalium, dummodo spem suæ salutis in illis non collocent, ut nimirum Synagoga paulatim cum honore sepeliretur, & non statim ut impia & mortifera damnaretur.

3. His decretis in dictis Apostolorum cœtibus confectis, accesserunt 50. Regulæ *Canones Apostolorum* nuncupati quos B. Clemens Romanus Apostolorum cœtaneus & S. Petri discipulus ac Successor græcè conscripsit. Verum controvertitur de auctoritate istorum: Gelasius Pontifex in Concilio Romano Anno 494. apocryphos esse declarat. *c. Sancta Ecclesia; Dist.* 15. *c.* 1. & 2. *Dist.* 16. At Tertullianus lib. adversus Praxeam, & S. Athanasius in Synopsi numerat eos inter agiographos; Joannes Damascenus quoque inter sacras Scripturas eos ponere videtur. *l.* 4. *de fid. orthod.* *c.* 18. Litem hanc dirimi posse putat Bellarminus *de Script. Eccles.* n. 92. si dicatur *Canones legitimos esse solum quinquaginta*

G 3

prio-

priores, quos ex Apostolicis traditionibus congeffit & græcè conscripsit, ut dictum, Clemens Papa, ac postmodum anno 526. latinè reddidit Dionysius Scythia Abbas Romanus cognomento *Exiguus*. *Baron. an. 102. Barb. in c. 1. Dist. 16.* Reliquos vero posteriores esse apocryphos, cum ex illis nonnulli à græcis dolosè suppositi sint, nonnulli etiam ab Hæreticis corrupti, ut patet ex Can. 65. de Sabbato non jejunando, & 67. de baptizatis vel ordinatis ab hæreticis, & Can. ult. de numero librorum sacrorum, Qui tamen posteriores ferè omnes, præter prædictos, vel in literis Apostolicis, vel in Decretis Conciliorum, vel in scriptis SS. Patrum confirmati inveniuntur, ut ostendit Ganzalez *l. c. n. 42* ideo ex horum auctoritate, licet non ex origine sua recipi pro authenticis possunt.

4 Nec obstat 1. Quod ex prioribus 50. videatur quintus Canon statuere poenas segregationis & depositionis in Episcopum, Presbyterum & Diaconum, qui Religionis prætextu suam dimiserit Uxorem; Quia non præcipitur, ut conjugatus Clericus maritali commercio Uxori suæ cohabitaret, sed ut ipsius curam habeat, eamque honestè sustentet juxta

ta

ta præceptum S. Pauli 1. ad Timoth. c. 5.
& exemplum S. Petri 1. Corin. 9.

Nec obstat 2. quod Canon 45. & 46.
Baptismum ab hæreticis collatum indif-
criminatim reprobare videatur; Quia
rejicitur ibi Hæreticorum baptismus alia,
quam instituta est à Christo, & utitur
Ecclesia, formâ collatus, quæ erat
baptisma illud tempore Apostolorum in
tribus Patribus, seu in nomine trium
principii expertium, aut trium filiorum,
vel trium Paracletorum, vel in morte
Domini collatum, ut patet ex Can.
49. & 50.

Nec obstat 3. Quod S. Zepherinus
Pontifex prima sua Epistola 60. vel ut
alia habet lectio, 70 Sententias ab Apo-
stolis præceptas esse scribat, quodque
Can. 2. Sextæ Synodi universalis 85. Ca-
nones Apostolorum approbentur. Nam
in primis Epistola illa Zepherini viris eru-
ditis supposititia videtur; Deinde 60
vel 70 illæ Sententiæ 50 Canonibus
Apostolorum continentur. *Turret. l. 1. c.*
20. vel, ut putat Bellarminus de script.
Eccles. n. 92. fortassis erratum fuit in nu-
mero sententiarum vitio libratorum.
Demum sexta Synodus universalis nihil
de numero horum Canonum definivit,
quia nullos Canones edidit, ut patet
Act.

Act. 4. & 5. Concilii Nicæni II. allegatus autem Canon secundus est illegitimi Conciliabuli in Trullo habiti. *Bellarmin. l. 1. de Conc. c. 7.*

7. Accesserunt Decretis Apostolicis constitutiones quoq; Apostolorum ab eodem Clemente Romano S. Petri Discipulo octo libris comprehensæ, ut titulus præfert, multiq; existimant, quamvis sub Judice lis sit, quis earum sit auctor; Hoc certum videtur antiquissimum esse & ut existimat de Marca *Concord. l. 3. c. 2.* codicem illum erudito scriptori, qui tertio saltem sæculo floruerit, vindicandum. Multa quidem utilia continent, magnoque in pretio à Græcis veteribus fuerunt, ut non dubitet Gabriel Albaspineus Episcopus Aurelianensis *l. 1. Observ. c. 13.* qui olim Ecclesia Græca eas pro legibus, manuali, pontificali seu rituali, ut vocant codice habuerit. Æthiopes quoque eos libros vere Apostolicos æstimare testis est Bellarminus *de script. Eccl. in Clemente, n. 92.* At vero à posterioribus Græcis in Concilio Trullano *Can. 2.* tanquam ab hæreticis depravatæ reiiciuntur. Nec magnæ sunt auctoritatis in Ecclesia latina, quod in iis nævi quam plurimi reperiantur, & ab hæreticis græculis multa perperam relata, nonnulla adulterata atque

que corrupta fateantur Baronius, Bellarminus, Petronius, Sirmondus, Petavius, Labbè aliique scriptores Catholici.

6. Subinde cum insequentibus Ecclesiarum Rectores ad exemplum Apostolorum in rebus controversis & ambiguis vel Synodi alicujus, vel S. Pontificis definitionem exquirerent, decretaque literis, ne oblivioni traderentur, consignarent, factum est, ut numerus Constitutionum & Canonum, non alio quam temporis ordine annotatorum in ingentem molem excreverint. Ex quibus proinde pro faciliore eorundem notitia & usu composita est Collectio, quam Nicolaus Papa in *cap. Si Romanorum dist. 19. Codicem Canonum* vocat, & Regulæ illæ, quæ à Leone IV. in *c. de Libellis dist. 20.* recensentur. Hunc Codicem Canonum dono dedit circa annum 787. Adrianus primus Pontifex Carolo Magno, qui eos observari in Gallia, & capita Decretorum in Capitulare Aquisgranense confectum anno 789. referri jussit. *Sirmundus tom. 2. Conc. Gall. ad annum 787.* Hujus Codicis auctorem complures volunt Dionysium esse Exiguum. Hic enim Dionysius Monachus Scythæ natione, sed moribus Romanus in utraque lingua do-

do-

doctissimus, ut refert Cassiodorus *de divinis lect. cap. 23.* Cognomento *Exiguus* circa annum 526. fecit collectionem sacrorum Canonum Græcis in latinum idioma translatis, in qua Præsulum sedis Apostolicæ constituta incipiendo à Syricio usque ad Hormisdam complexus est, & in aliquem redacta ordinem titulis suis distinxit, ut ipsemet testatur in Epistola ad Julianum Presbyterum, quibus deinde addita sunt Decreta Gregorii II. *Petrus de Marca lib. 3. c. 3.* Sub idem tempus elaboravit Fulgentius Ferrandus Diaconus Carthaginensis aliam collectionem, in qua citantur solum, non recitantur Canones diversorum Conciliorum, quod opus Cresconius in sua collectione *Breviarium* appellat, & mentionem illius facit Baronius *ad an. 527. n. 87.*

Hunc secutus Martinus Ordinis S. Benedicti ex Abbate Monasterii Dumienfis Ecclesiæ Braccarenfis Episcopus, Pannoniâ oriundus *Greg. Turor. Hist. Franc. l. 5. c. 38.* qui postquam scripsisset anno 571. *Collectionem Canonum* ex græcis Synodis, vivere desiit circa annum Christi 573 prout Baronius testatur. Hos Canones ex ista Martini Braccarenfis collectione

lectione transcriptos citat plerumque Gratianus in Decreto suo sub nomine Martini Papæ, pro ut ostendit congerendo textus Antonius Augustinus in Gratian. *Dial.* 10. 11. & 12. Deinde Crescinius Episcopus Africanus dedit ad Liberium Pontificem Nomorennon seu Concordiam Canonum, vel librum Canonum ut est in MS. in quo explicat, quibus Synodorum & Epistolarum Decretalium locis causæ illæ, quarum proponit titulos, tractentur. Hos secutus est Isidorus quidam Hispanus, qui ex antiquorum Pontificum Epistolis, & Conciliorum Canonibus, facto initio à Canonibus Apostolorum usque ad Concilium Hispalense secundum, quod celebratum est anno Christi 657. collectionem confecit.

7. Sed duæ hic oriuntur quæstiones; Prima est, quis fuerit Isidorus ille, & auctor hujus collectionis? Altera, quæ sit auctoritas Epistolarum in hac Collectione comprehensarum? Ad primum certum videtur non fuisse Compilatores Isidorum Episcopum Hispalensem, prout nonnulli existimant, tum quia meminit in opere suo Concilii Toletani II. habiti anno 975. & Concilii VI. celebrati anno 681. adeoque scripsit quadragin-

draginta & pluribus annis post obitum Isidori Hispalensis, qui vivere desiit 636. Tum quia inseruit Collectioni suæ Epistolas Gregorii II. & III. nec non Zachariæ, qui post annum 700. in Sede Apostolica sederunt. Neque etiam hæc Collectio inter opera Isidori Hispalensis à SS. Braulio & Ildephonso, nec non à Grialio & Loäysa, qui ea ex vetustis exemplaribus luci dederunt, recensetur. Quare alii viri docti M. S. Codices secuti non improbabiler putant, Isidorum Mercatorem Episcopum Setubensem Collectionis hujus auctorem fuisse, quod confirmat Chronicon Juliani Toletani editum Parisiis à Laurentio Ramiretio, in quo refertur Isidorum istum Episcopum Setubensem ope cujusdem Monarchi Compilationi operam dedisse obiisseque anno 805. Et Luitprandus in Chronico Anno 719. his verbis: *Isidorus Setuvitanus, qui interfuit Concilio 16. Toletano composuit ordinem Concilii, & collectionem Conciliorum, quæ dicitur Isidori Peccatoris.* Quod vero Compiler iste à nonnullis Isidorus Peccator appelletur, factum id esse censendum est, quod olim Episcopi quidam se ipsos in Conciliis Peccatores in-

inscribere consueverint, ut patet ex Concilio Turonensi I. Parisiensi III. Turonensi II. & Matisconensi I. quod eo pronius est suspicari factum hic fuisse ob utriusque nominis similitudinem, cum duabus solum literis mutatis *Mercator* sit *Peccator*.

8. Quod attinet ad auctoritatem Epistolarum illarum Decretalium, quæ in hac Collectione proferuntur, defendunt nonnulli, quos inter præcipui sunt Franciscus Turrianus & Severinus Binnius, genuinas esse illorum Pontificum, quorum nomina præferunt. Alii eruditissimi Scriptores Catholici, ut Baronius, Bellarminus, Peronius, Sirmondus, Petavius, Philippus Labbè rectius eas velut indubitatas non admittunt, vel ut confictas plane rejiciunt. Ad hoc moventur variis inducti rationibus.

1. Quod elegantiam & nitorem secundæ Sæculi, quo datæ dicuntur, non referant. 2. Quod in omnibus Epistolis idem stylus eademque scribendi norma servetur, ut non à pluribus, sed ab uno conscriptæ esse videantur. 3. Quod ex usu vulgatæ scripturarum versionis frequentissimè arguatur post S. Hieronymi ætatem exaratas esse. 4. Quod S. Hieronymus earum non meminerit in Catalo-

110 *Varia collectiones Canonum.*

go Scriptorum Ecclesiasticorum, adeoque ipsi incognitæ fuerint 5. Quod Dionysius Exiguus, qui veterum Pontificum Epistolas summa diligentia collegit, illas tamen in Compilatione sua omiserit. 6. Demum, ut primus observavit Antonius Augustinus in Notis ad Capitula Hadriani, quod in Epistolis illis reperiantur ipsa Legum Imperatorum verba & scholia quædam, quæ sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum, cum tamen Pontifices, quibus Epistolæ adscribuntur duobus & tribus etiam sæculis editionem Codicis illius præcesserint. His motus argumentis Bellarminus l. 1. c. 14. de Rom. Pontif. inquit, *has Epistolas indubitatas esse affirmare non audeam.* Et Baronius ad annum 862. n. 5. *Ex multis eas reddi suspectas Epistolas.*

9. Post Isidorum scripsit S. Burchardus ex Monacho S. Benedicti Lobii Episcopus Wormatiensis Patria Hassus circa annum Christi 1020. viginti libros Decretorum, meliori quam Isidorus ordine Conciliorum Canones, Pontificum Epistolas, SS. PP. Sententias, & Imperatorum sanctiones digerendo; Plurima enim, quod nemo ante illum fecerat, ex Digestis, Codice & Novellis trans-

Varia collectiones Canonum. III

transcripta in Collectionem suam retulit. Post illum aliam fecit Collectionem Deusdedit Cardinalis, quam Polycarpus scripsit, ejusque meminit Baronius Tom. II. anno 1086. Ac sub idem ferè tempus suam quoque edidit Anselmus Mantuanus Episcopus Lucensis, de quo Bellarminus *de Script. Eccles.*

Post hos Ivo Gallus ex Præposito Monasterii Quirini Belyacensis Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini Episcopus Carnotensis edidit Volumen Decretorum circa annum Christi 1090. in quo multa quoque ex Pandectis & Codice Justiniani admiscuit, quod volumen in compendium contraxit Hugo Catulauniensis & *Pannoniam* seu *Pannoniam* appellavit.

Demum omissis aliis Photii, Harmenopoli, Siagrii & aliorum Gratianus Monachus Benedictinus videns multa in aliorum Collectaneis vel superflua, vel contraria congesta esse, multaque etiam in iis desiderari, ex cæterorum Collectionibus magnum volumen compilavit, quod *Concordantiam discordantium Canonum* inscripsit, propterea quod dissidentes inter se Canones conciliarit. Sed de hoc Auctore ejusque opere uberius infra, Cum

Cum vero nova passim Concilia in Ecclesiis celebrarentur, & novæ quotidie ederentur Constitutiones, nonnulla etiam ex antiquis Conciliis & Decretalibus in Gratiani volumine omissa notarentur, Bernardus Balbus Præpositus Papiensis ac postea Episcopus primum Faventinus, deinde Papiensis novas illas Decretales usque ad Cœlestinum III. in unum corpus insertis plurimis antiquorum Canonibus & Epistolis, redegit, & hæc *Prima* dicta est *compilatio* Hostie Jo. Andr. in *Proëm. Decret.* Hanc deinde excepit *Secunda compilatio* tentata quidem à Giliberto Abbate, & Alano Episcopo Altissiodorensi, sed perfecta à Magistro Joanne Gallensi seu Walensi, prout appellat eum Jo. Andr. in *Proëm. Decret. n. 16.* Volterris nato quæ pertingit, usque ad Innocentii III. tempora. Istam subsequuta est *Tertia compilatio* primum à Bernardo Archi-Diacono Compostellano privata auctoritate facta Romæ, unde & *Romana* dicta est, ac subinde à Petro Beneventano Subdiacono & Notario Innocentii III. ejusdem Innocentii jussu absoluta fuit. Cum vero tertia hæc *Compilatio* eas tantum Constitutiones complecteretur, quas Innocentius usque ad

ad duodecimum sui Pontificatus annum ediderat, aliud quoque volumen ex posterioribus hujus Pontificis Constitutionibus & Lateranensis Concilii Canonibus, ut videtur à Tancredo Bononiensi Archidiacono emanavit, & *Quarta Compilatio* dicta est. Postremo accessit *Quinta Compilatio* mandato Honorii Papæ III. ex ipsiusmet Honorii Constitutionibus confecta. *Greg. Teles. in Part. Jur.*

Prædictas compilationes novissimè redegit Gregorius IX. in unum volumen quinque libris distinctum per Raymundum à Pennafort, & Decretales inscribuntur, prout pluribus dicitur infra *cap. 23.* Quinque libris Decretalium accesserunt postmodum liber sextus Decretalium, Constitutiones Clementinæ & Extravagantes, quæ Corpus Juris Canonici constituunt. Annexus est illi postremis hisce temporibus Liber septimus Decretalium, sed privata solum industria collectus, nec ullam hucusque habet approbationem summi Pontificiis, quæ omnia infra *e. 24. & 25.* copiosius prosequemur.

H

CA-